DE SIMPLICIUM PULVERATIONE ET LÆVIGATIONE.

PRÆPARATIO LIMATURÆ FERRI.

℞. Limaturæ ferri ſplendentis, nitidæ, & à ſordibus purgatæ, ... quantum volueris, ſupra porphyritem ſine aquâ lævigetur, donec redigatur in alkool.

PRÆPARATIO OCULORUM CANCRORUM.

℞. Lapidum Cancrorum genuinorum, ... quantum volueris.

Aquâ fluviatili calente pluriès in die renovatâ ablue; idque per plures dies repete, donec ferè nullus in eis deprehendatur odor.

Exſiccatos tere ſubtiliſſimè in mortario ferreo vel marmoreo. Poſthac ſupra porphyritem agita, inſtillando identidem aquam communem, uſque dùm in pultem tenuiſſimam lævigentur. Effinge Trochiſcos in umbrâ ſiccandos.

Simili modo præparabuntur

Teſtacea,

Coralla.

Nota. A Corallo, Magnetis ope, ſeparandas eſſe ferri particulas inter pulverationem abraſas.

PRÆPARATIO MARGARITARUM.

℞. Margaritarum Orientalium, . . quantum volueris. Aquâ fluviatili calente ſemel, aut iterùm ablue. Exſicca. Tere, & ſupra porphyritem lævigа.

Simili

Simili modo præparatur
Succinum.

PRÆPARATIO FRAGMENTORUM LAPIDUM PRETIOSORUM.

Fragmenta pretiosa aquâ ablue. In mortario ferreo, non verò æneo, pistillo ferreo, in pulverem crassiusculum comminue; super chartam pulverem expande, & Magnetis ope ferri particulas inter pulverationem abrasas extrahe. Tum supra porphyritem in pollinem redige, & Trochiscos effinge.

PRÆPARATIO PUTAMINUM OVORUM.

℞. Putaminum Ovorum, . . . quantum volueris. Cum aquâ primùm leviter & diu conquassa: deinde aquâ plurimâ ferventi multoties elue; ita ut omnes membranulæ aquæ innatantes cum aquâ decantentur, remanentibus in fundo solis putaminibus, quæ siccata in mortario marmoreo pulverentur, dein super porphyritem lævigentur, & in Trochiscos formentur.

PRÆPARATIO ANTIMONII.

℞. Antimonii Hungarici in mortario ferreo pulverati, ... quantum volueris. Supra porphyritem leviga; dein cum aquâ multâ permisce & agita. Aquam, cùm turbida fuerit, decanta, & in vase idoneo repone. Superstiti materiæ iterùm aquam affunde, tere, & aquam turbidam super priorem effunde; idque toties repete, donec totam materiam alkoolisatam exhauseris. Tum aquam omnem effusam decanta, & Antimonium in fundo vasis remanens, exsicca & serva.

Simili modo præparentur
Cinnabaris,
Magnes,
Lapis Hæmatites.

PRÆPARATIO LITHARGYRI.

Lithargyrum pulveratum, cum aquâ plurimâ tere in mortario ferreo. De reliquo ad lotionem, procede ut in præparatione Antimonii.

Simili modo præparentur

Boli,
Calces,
Cretæ,
Hardesiæ,
Margæ.

PULVERATIO CORNU CERVI.

℞. Cornu Cervi integri, . . . quantum volueris. Scobinâ derade. Scobem tere in mortario. Trajice per sericeum. Pollinem serva.

Simili modo pulverantur

Ebur,
Cranium humanum,
Pes Alcis.

PRÆPARATIO CORNU CERVI PHILOSOPHICA.

℞. Apices Cornu Cervi, ... quot volueris. Mitte in vas idoneum. Affunde
Aquæ communis . . . quantitatem sufficientem.

Vase ritè obturato bulliant, donec exterior pellicula scalpello facilè detrahatur, tum medulla quoque extrahatur. Quibus demptis, apices sicca.

FŒCULA BRYONIÆ.

℞. Radicis Bryoniæ recentis, . . . quantum volueris. Quassa in mortario marmoreo. Excipe sacco cannabino. Prælo exprime. Succus in vase vitreo reponatur. Paulatim subsidet, amyli instar, fœcula, decantato liquore, in umbra exsiccanda.

Simili modo parantur
Fœculæ Ari,
Ireos, &c.

EXSICCATIO OPII.

℞. Opii Thebaïci purissimi in taleolas secti, ... quantum volueris.

Vase vitreo patulo exceptum, lenissimo Balnei Maris calore paulatim exsicca, & in pulverem redige.

Simili modo parantur
Succi Acaciæ,
Hypocistidis,
Glycyrrhisæ.